



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

III. De Discrimine Ciborum Et Similibus Traditionibus Pontificiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

& meriti Christi, ac iusticiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minime sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam aduersarij tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissime à nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de confessione docent, quod enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, Vt testatur Psalmus, Delicta quis intelligit? Item Ieremias, Præuam est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur, nunquam acquiescere conscientiæ possent, qui plurima peccata neque vident neque meminisse possunt. Testantur & veteres scriptores enumerationem non esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait, Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reuela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum verum iudicem, cum oratione. Delicta tua pronuntia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, &c. Et glossa de pœnitentia, Dist. 5. Cap. Consideret, fatetur humani iuris esse confessionem. Verum confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum vtilitates apud nos retinetur.)

I I I I .

D E D I S C R I M I N E C I B O R V M
E T S I M I L I B V S T R A D I T I O N I B V S
P O N T I F I C I I S .

I N hac corporali vita opus est traditionibus, hoc est, locorum ac temporum discriminiibus, vt ordine gerantur res in Ecclesia, sicut præcipit Paulus, vt omnia fiant ordine, & ita, vt deceant. Ideo & Ecclesia habet traditiones, hoc est, constituit quibus temporibus, vbi conuenire populus debeat. Ad hunc ciuilem finem licet concedere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Christianæ, non sunt hoc sine contenti, sed affingunt supersticiosas opiniones traditionibus, easque per superstitionem sine modo cumulant. Id quæsi sunt accidisse in Ecclesia, non tantum recentiores, Gerson & alij quidam, sed Augustinus etiam.

Quare necesse est populum admonere, quid de traditionibus, quæ humana autoritate conditæ sunt in Ecclesia, sentiendum sit. Neque enim nihil causæ est, cur Christus & Paulus toties de traditionibus concionentur, & Ecclesiam admoceant, vt prudenter de traditionibus iudicet.

Fuit

Fuit autem persuasio publica non modo vulgi, sed etiam docentium in Ecclesijs, discrimina ciborum & similia opera, de quibus Ecclesiasticae traditiones præcipiunt, cultus esse Dei, qui mereantur remissionem peccatorum. Item, tales cultus esse iusticiam Christianam, & necessarios esse, sicut in veteri Testamento, Leuiticæ ceremoniæ necessariæ fuerunt, nec posse sine peccato omitti, etiam extra scandalicatum. Hæc persuasiones multa pepererunt incommoda.

Primum, obscurata est Euangelij propria doctrina, quæ docet gratis remitti peccata propter Christum. Hoc beneficium Christi translaturum est in illa humana opera. Ac propter hanc opinionem præcipue auctæ sunt traditiones, quia existimabantur opera illa mereri remissionem peccatorum, esse satisfactiones, esse iusticia Christiana. Porro maxime ob hanc causam, tam crebro, tam seuerè admonet nos Paulus de traditionibus cauendis, ne beneficium Christi transferretur in traditiones, ne gloria Christi obscuraretur, ne conscientijs eriperentur veræ & firmæ consolationes, Deniq; ne fides, hoc est, fiducia misericordiæ Christi obrueretur. Hæc pericula cauere Paulus voluit, Maxime enim opus est, extare in Ecclesia puram doctrinam, de beneficio Christi, de iusticia fidei, de consolatione conscientiarum.

Secundo. Hæc traditiones obscurauerunt præcepta Dei, quia hæc pædagogia, existimabatur esse spiritualis & Christiana iusticia. Item, præferebantur humanæ traditiones præceptis Dei. Christianismus totus putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, vestitus. Hæc *ἡ τῶν σαρκῶν* erant in professione honestissimi tituli, quod essent vita spiritualis. Item perfectio Christiana. Interim mandata Dei de vocatione, nullam laudem habebant. Quod Paterfamilias educabat sobolem, quod Mater pariebat, quod Princeps regebat rempublicam, hæc opera despiciebantur, non iudicabantur esse cultus Dei, Versabantur in perpetua dubitatione merites plurimorum, an coniugium, magistratus, & similes vitæ ciuilibus functiones, Deo placerent. Hæc dubitatio multos valde cruciavit, Multi deserta sua vocatione, deserta republica abdidierunt se in Monasteria, vt vitæ genus quærerent, quod arbitrabantur Deo magis placere, imo quod arbitrabantur mereri remissionem peccatorum.

Tertio. Opinio necessitatis, etiam duriter exercuit conscientias. Traditiones existimabantur esse necessariæ, Et tamen nemo, quamlibet diligens observabat omnes, præsertim cum sint innumerabiles. Gerson scribit multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem consciuisse, quia animaduenterant se non posse satisfacere traditionibus. Et interim nullam consolationem de gratia, de iusticia fidei audierant. Videmus Summistas & Theologos collige

gere traditiones, & quærere ἐπιχειρήσας, vt leuent conscientias, Sed ne ipsi quidem sibi satisfaciunt, non possunt se satis extricare, interdum etiam illæ ipsæ interpretationes iniiciunt laqueos conscientijs. Et in traditionibus colligendis, ita fuerunt occupatæ Scholæ, & conciones, vt non vacauerit attingere scripturam, & quærere vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate rerum ciuiliū, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaq; multi boni viri sæpe quæsti sunt, se his rixis traditionum impediri, quominus libere versari in meliore doctrinæ genere possent. Cum igitur huiusmodi superstitiōsæ opinionibus hærent in traditionibus, necesse fuit admonere Ecclesias, quid de traditionibus sentiendum sit, errore pijs mentes liberare, mederi pauidis conscientijs, & illustrare beneficium Christi. Non hoc agimus, vt labefactetur autoritas Ecclesiasticæ potestatis, non detrahimus de dignitate Episcoporum, non dissipamus ἐὺ τὰ ἔργα Ecclesiæ. Recte intellectæ traditiones magis amantur, Sed illæ Iudaicæ opiniones, tantum reprehenduntur. Sic igitur docemus de ceremonijs, humana autoritate conditis in Ecclesia. Primum de traditionibus, quæ pugnant cum mandatis Dei, aut non possunt obseruari sine peccato, sequenda est regula Apostolorum: Oportet Dei magis obædire quam hominibus. Talis est traditio de cælibatu. Deinde de reliquis ceremonijs, quæ sunt sua natura res mediæ seu indifferentes, vt ieiunia, feriæ, discrimina vestitus, & similes, sciendum est, tales obseruationes nec mereri remissionem peccatorum, nec iusticiam, nec perfectionem Christianam esse, Sed res esse adiaphoras, quæ extra scādali casum omitti possunt.

Testimonia huius sententiæ, plana & clara sunt, in Euangelio & disputationibus. Nam Spiritus sanctus duxit operæ precium esse, vt diligenter de hac re moneret Ecclesiam, ne superstitionis opinionibus obrueretur Euangelium.

Roman. 14. Regnum Dei non est esca aut potus, Sed iusticia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Hic satis clare docet Paulus, iusticiam Christianam, esse motus spirituales cordis, non esse externas obseruationes ciborum, dierum, &c.

Coloss. 2. Nemo iudicet vos in cibo, potu, aut parte diei festi, Vetat iudicari conscientias, hoc est, condemnari conscientias in vsu talium rerum, sed prorsus vult haberi pro rebus indifferentibus, & quæ non pertinent ad iusticiam Euangelij. Et deinde longa & grauis concio est, & de Mosaicis ritibus, & de ceremonijs institutis humana autoritate, Loquitur enim Paulus de vtroq; genere nominatim. Negat eas esse iusticiam Christianam, & vetat conscientias onerare talibus traditionibus, Si mortui estis cum Christo ab elementis

E mundi,

mundi, quare tanquam viuentes in mundo, decreta facitis? Ne attingas, Ne gustes, Ne contrectes.

Matth. 15. Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem. Et quidem ibi excusat Apostolos, violantes vsitatam traditionem, & addit sententiam memorabilem: Frustra colunt me mandatis hominum. Negat esse veros & viles cultus ad iusticiam coram Deo, quare non sunt iusticia Christiana, nec sunt necessarij cultus. Atqui constat, in Ecclesia humanos cultus, mirum in modum hactenus creuissse. Quotidie cumulabant monachi ceremonias, nouis & superstitionibus & aucupijs. Et hæ nugæ putabantur esse præcipui cultus Dei, præcipua pietas, cum Christus tam graui oraculo vetet humanas ceremonias haberi pro cultibus. Non enim prohibet condere traditiones ad finem politicum, hoc est, propter bonum ordinem, sed cultus esse negat, cum ait: Frustra colunt me. Et docet veros cultus, esse opera diuinitus præcepta, Timorem, fidem, dilectionem, patientiam, castitatem, parere vocationi, facere officium, &c.

Act. 15. ait Petrus: Quare tentatis Deum? imponentes iugum, super ceruices discipulorum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hic docet Petrus, contingere nobis remissionem peccatorum, & salutem, propter Christum, non propter Mosaicos aut similes ritus. Et admonet, grauisime peccare illos, qui conscientias onerant talibus obseruationibus. Nec enim leuis est reprehensio, cum inquit, Quid tentatis Deum?

Et 1. Timoth. 4. vocat prohibitionem ciborum, coniugij, & similes traditiones, doctrinas dæmoniorum. Quare autem tam atroci conuicio vsus est? Non voluit nullas prorsus fieri ordinationes, nulla seruari discrimina locorum, temporum: Sed tunc sentit esse doctrinas dæmoniorum, quando in eas transfertur beneficium Christi, quando habentur pro iusticia, item pro necessarijs cultibus, quando affingitur opinio necessitatis, & cruciantur conscientie, & excutitur eis fides. Hæc incommoda, volunt caueri, Christus & Apostoli. Ideoq; toties tam vehementer aduersus traditiones concionantur. Ac mirum est illis fulminibus nihil moueri eos, qui superstitionis opiniones traditionum defendunt.

Cæterum docemus non esse damnandas traditiones, quæ nihil præcipiunt contra mandata Dei, & habent finem politicum, videlicet, quæ ad hoc conditæ sunt, vt ordine res in Ecclesia gerantur, cuiusmodi sunt traditiones de ferijs, Die dominico, Natali, Paschate, & reliquis, item de sacris lectionibus, & similes. Et huius generis veteres ritus, libenter retinemus in nostris Ecclesijs. Et tamen admonetur populus, vt sciat, quid de talibus moribus sentiendum sit.

fit, videlicet, quod non mereantur remissionem peccatorum, quod non sint iusticia Christiana, nec cultus necessarii ad iusticiam Christianam, sed res indifferentes, quas extra scandali casum liceat omittere. Hæc ἐπιτίμια traditionum, liberat conscientias à superstitiosis opinionibus, & ab illa veteri carnificina, Et tamen egregiam commendationem affert traditionibus, quia verum earum usum ostendit. Omnes moderari homines libentius parent traditionibus, postquam intelligunt, priuatim conscientias periculo liberatas esse, & eatenus parendum esse, ne perturbetur communis tranquillitas, neue imbecilles lædantur. Deinde munit, & conseruat hæc interpretatio, publicos mores ac disciplinam, quia iubet cauere scandala. Ad exemplum pertinet, & ad assuefaciendam adolescentiam & vulgus, conseruare publicas ferias, cœtus in templis, lectiones, &c. Ideo huiusmodi ordinationes non sunt dissipandæ, sed potius communi studio adiuuandæ. Hæ sunt veræ, & honestæ laudes traditionum, quæ omnes pios & moderatos, haud dubie, maxime inuitant ad amandos, tuendos, & ornandos publicos mores. Euangelium docet reuerenter sentire, non solum de alijs ciuilibus legibus ac moribus, sed etiam de Ecclesiasticis, & verum usum harum monstrat. Sed gradus tamen constituit, & discerni vult doctrinam de Christo, & rebus cœlestibus ac æternis, à pædagogia Ecclesiastica. Hæc libertas, de qua hic dicimus, non fuit ignota patribus, Augustinus enim inquit: Totum hoc genus rerum liberis habet obseruationes, & in hanc sententiam multa disputat. Irenæus inquit: Dissonantia ieiunij, non dissoluit fidei consonantiam. Tripartita historia multa colligit exempla dissimilium rituum, & addit egregium Epiphonema: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem. Sed nihil opus est, in re manifesta colligere multa testimonia. Verum hic vociferantur aduersarij, labefactari hac doctrina disciplinam publicam, effici ἀναρχίαν. Item aboleri bona opera & mortificationem carnis, iuxta Iouiniani dogma. Has calumnias partim iam refutauimus. Non enim fit ἀναρχία nec labefactatur publica disciplina, cum traditiones, quarum finis est politicus, seruandas esse doceamus. Doceamus & scandala cauenda esse. Sed de mortificatione carnis sic respondeamus: Vera & non simulata mortificatio est tolerare crucem, uertari in periculis, ærumnis, & afflictionibus. Huius generis obedientia est cultus DEI, & opus spirituale, sicut docet Psalmus, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, &c. Docemus præterea aliud genus exercitiorum necessarium esse. Quilibet Christianus etiam corporali disciplina, laboribus, temperantia, meditatione

diuinarum rerum, & alijs exercitijs aptis ætati, coërcere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus esse debet, ne saturitas aut defidia extimulet ad peccandum, & vt mens admoneatur, & fiat aptior ad affectus spirituales. Non est sentiendum, hæc exercitia cultus esse, qui mereantur remissionem peccatorum, aut satisfactiones esse, &c. Et hæc disciplina debet esse perpetua, nec possunt præscribi certi dies pariter omnibus. De hac disciplina inquit Christus: Cauete ne corpora vestra grauentur crapula. Item, Hoc genus demoniorum non eijcitur, nisi ieiunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum, & redigo in seruitutem. Itaq; non vituperamus ieiunia, sed supersticiosas opiniones, & laqueos conscientiarum, in traditionibus. Porro hæc exercitia, cum ad illum finem referuntur, vt habeamus corpora obnoxia ad res spirituales, & ad faciendum officium, iuxta vocationem, &c. sunt in pijs bona & meritoria opera, vt testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera, quæ ad hunc finem requirit Deus, vt carnem coërceant.

Hunc Articulum reperimus alibi collocatum quinto loco, inter eos quibus recensentur abusus mutati.

DE DISCRIMINE CIBORVM.

¶ PVBLICA persuasio fuit non tantum vulgi, sed etiam doctentium in Ecclesijs, quod discrimina ciborum, & similes traditiones humanæ, sint opera vtilia ad promerendam remissionem culpæ & pœnæ. Et quod sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instituebantur nouæ ceremoniæ, noui ordines, nouæ feriæ, noua ieiunia, & doctores in templis exigebant hæc opera, tanquam necessarium cultum ad promerendam iustificationem, & vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus, multa incommoda in Ecclesia secuta sunt.

Primo, obscurata est doctrina de gratia & iusticia fidei, quæ est præcipua pars Euangelij, & quam maxime oportet extare & eminere in Ecclesia, vt meritum Christi bene cognoscatur, & fides quæ credit remitti peccata propter Christum, non propter vlla nostra opera, longe supra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maxime incumbit, legem & traditiones humanas remouet, vt ostendat iusticiam Christianam aliud quiddam esse, quam huiusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata gratis remitti propter Christum. At hæc doctrina Pauli, pene tota oppressa est per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per discrimina ciborum & similes cultus,

tus, oporteat mereri remissionem peccatorum & iustificationem. In poenitentia nulla mentio fiebat de fide, tantum hæc opera satisfactoria proponebantur, in his videbatur poenitentia tota consistere.

Secundo, hæc traditiones obscurauerunt præcepta Dei, quia traditiones longe præferrebantur præceptis Dei, Christianismus totus putabatur esse obseruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, vestitus. Hæc obseruationes erant in possessione honestissimi tituli, quod essent vita Spiritualis, & vita perfecta. Interim mandata Dei iuxta vocationem, nullam laudem habebant, quod paterfamilias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod Princeps regebat Rempub. hæc putabantur esse opera mundana & imperfecta, & longe deteriora illis splendidis obseruationibus. Et hic error valde cruciavit pias conscientias, quæ dolebant se teneri imperfecto vitæ genere, in coniugio, in magistratibus, aut alijs functionibus ciuilibus, mirabantur monachos & similes, & falso putabant illorum obseruationes, magis mereri remissionem peccatorum & iustificationem.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conscientijs, quia impossibile erat omnes traditiones seruare, & tamen homines arbitrabantur has obseruationes, necessarios esse cultus. Gerson scribit multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem consc iuisse, quia senserant, se nõ posse satisfacere traditionibus, & interim consolatione nullam de iusticia fidei & de gratia audierat.

Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærare ἐπιζητεῖν vt leuent conscientias, non satis tamen expediunt, sed interdum magis iniiciunt laqueos conscientijs. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ scholæ, & conciones, vt non vacauerit attingere scripturam, & quærare vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate ciuiliū rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaq; Gerson, & alij quidam Theologi grauius quæsti sunt, se his rixis traditionum impediri, quo minus versari possent in meliore genere doctrinæ. Et Augustinus verat onerare conscientias huiusmodi obseruationibus, & prudenter admonet Ianuarium, vt sciat eas indifferenter obseruandas esse, sic enim loquitur.

Quare nostri non debent videri hanc causam temere attigisse, aut odio Episcoporum, vt quidam falso suspicantur. Magna necessitas fuit, de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus, male intellectis, admonere Ecclesias. Nam Euangelium cogit vrgere doctrinam in Ecclesijs de gratia & iusticia fidei, quæ tamen intelligi non potest, si putent homines se mereri remissionem peccatorum & iustificationem, per obseruationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per obseruationem traditionum humanarum non possimus mereri remissionem peccatorum ac iustificationem, quare non est sentiendum, quod huiusmodi obseruationes sint necessarij cultus.

Addunt testimonia ex scriptura: Christus Matth. 15. excusat Apostolos, qui non seruauerant vsitatam traditionem, quæ tamen videbatur de re non illicita sed media esse, & habere cognationem cum baptisimatibus legis, & dicit, Frustra colunt me mandatis hominum. Igitur non exigit cultum inutilem. Et paulo post addit, Omne quod intrat in os non inquinat hominem. Item Roman. 14. Regnum Dei non est esca aut potus. Coloss. 2. Nemo iudicet vos in cibo, potu, sabbato aut die festo. Item si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi, Quare tanquam viuentes in mundo, decreta facitis? Ne attingas, Ne gustes, Ne contrectes. A Cor. 15. ait Petrus, Quare tentatis Deum? imponentes iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus siue Moyfi siue alijs.

Et 1. Timoth. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam dæmoniorum, quia pugnat cum Euangelio talia opera instituire aut facere, vt per ea mereamur remissionem peccatorum & iustificationem, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hic obijciunt aduersarij, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Iouinianus. Verum aliud depræhenditur ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, seria, & non simulata mortificatio, varijs afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quod quilibet Christianus, debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitijs & laboribus sic exercere & coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, non vt per illa exercitia mereamur remissionem culpæ aut mortis æternæ. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper vrgere, non solum paucis & constitutis diebus. Sicut Christus præcipit, Cauete ne corpora vestra grauentur crapula. Item, Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi ieiunio & oratione. Et Paulus ait, Castigo corpus meum, & redigo in seruitutem. Vbi clare ostendit, se ideo castigare corpus, non vt per eam disciplinam mereatur remissionem peccatorum, sed vt corpus habeat obnoxium & idoneum ad res Spirituales, & ad faciendum officium, iuxta vocationem suam. Itaq; non dampnantur ipsa ieiunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribi-

præscribunt, cum periculo conscientiae, tanquam istiusmodi opera sint necessarii cultus.

Seruantur tamen apud nos pleræq; traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine gerantur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa, & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non iustificet coram Deo, & quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in oriente alio tempore seruauerunt pascha quam Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab alijs, tales mores non oportere ubiq; similes esse. Et Irenæus inquit, dissonantia ieiunij, fidei consonantiam non soluit, sicut & Dist. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere unitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita libro nono multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem.)

V.

D E C O N I U G I O S A -
C E R D O T V M.

CVM doctrina Christiana honorifice prædicet coniugium, eoq; uti iubeat, non solum procreationis causa, sed etiam ad frænandas virandasq; libidines: nunc non solum pontificia lege, sed etiam noua atq; inusitata sæuitia prohibentur coniugia Sacerdotibus, & contracta dirimuntur. Idq; hoc est indignius, quod hæc in Ecclesia sunt, quæ ut maxime debet abhorrere à turpitudine, ita coniugium ad vitanda multa ingentia flagitia, summo studio tueri debet. Adhæc cum in omnibus Echnicis rebus publicis mediocriter constitutis, propter grauisimas causas, coniugium in magno honore fuerit, quid minus decet in Ecclesia, quam & sanctissimum fœdus coniugij distrahere, aut capitalibus pœnis, velut summum scelus, punire coniugium? vnde hæc in Ecclesiam, in qua debet excellere mutua dilectio, peruasit immanitas? Porro res loquitur ipsa, quantum turpitudinis ac scelerum pariat pontificia lex, de celibatu, Nec vlla humana voce dici potest, quantum vitiorum ex hoc fonte in Ecclesiam exundauerit. Nam ut non dicamus de Epicureis, quos nihil pudet, quam multi pij ac boni viri infelicitate luctati sunt cum imbecillitate naturæ, & ad extremum in horribilem desperationem inciderunt? Quo spectat autem hæc noua crudelitas, nisi ut illa infinita scelera in Ecclesia confirmetur, & ut improbi peccent impunitus? Hæc causa nihil habet opus disputa-

E 4 ratione.